

potius , quum exspectatio desiderium reddiderit ardentius , & eventus desiderium omni ex parte compleverit , collatum bonum eo reputamus completius , quo longius depoposcimus ; atque illo etiam fruimur suavius , quo avidius concupivimus . At , quum in Te uno nos illud recepisse Deus Optimus Maximus divinæ suæ Providentia consilio disposuerit , gaudiis nostris prope in immensum promovendis æque collimant , & quod optatum Pontificem , diu conquisitum , habuerimus , & quod habuerimus in Te , ad quem virtutum omnium decora conspirant , & Bonorum omnium vota dirigebantur .

Quæ fuerit ob tantæ rei , de repente quidem , & omnino inopinatam promulgationem , Catholicorum omnium exultatio , id clarius ex Te ipso percipies , quam ipse possim luculentius atque vividius , explicare . Etenim , quum cuique per longa temporum intervalla perspecta fuerit illa tua morum suavitas , affectuum constantia , vitæ innocentia , judicii probitas , literarum denique , non superficiaria , sed intima & penitior , cognitio ; omnes , nemine excepto , confidunt , Te Pontifice , & Principem nos habituros , qui corpora ad naturalis felicitatis mensuram consequandam , juxta politici regiminis regulas , disponat , & Pastorem , qui animas ad supernæ beatitatis normam , per sacri imperii canones , manuducat . Hoc profecto in Summo Sacerdote cuncti summis laudibus extollunt , si consequantur ; & conjunctis votis exposcunt , dum exspectant ; quia scilicet hoc uno , & Principatus jura explentur , & Pontificatus munera comprehenduntur .

Hoc idem obtinuisse jam in Te ipso , PONTIFEX SANCTISSIME , absque hæsitatione credimus , immo potius scimus , quia suadent non solum , sed ad oculum quoque demonstrant , & natalium claritas ,